



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XCVII. De Difficultate deferendi Victualia ad Castrum Kunnigsberg.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Poppo de Osterna VI. Mag. Gen. Ord. Teutonici.
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Prussia.*

temeritatem adolescentiæ suæ, de fratrum licentia processit, & dixit ad eum: Nalubo Maledicte, nunc surgas & sis vagus & profugus de terra tua, quia non obedisti voci nec & parentum tuorum, alioqui fratres & armigeri eorum, qui jam veniunt, te occident. Qui fugiens secessit ad territorium Scoken Vicinum & evasit ipse solus; sed tota familia domus suæ & substantia fuit à fratribus dissipata. Tandem idem Nalubo fatigatus crebris impugnationibus se fidei subjecit, & sanctus fuit vir fide & conversatione laudabilis.

CAP. XCVII.

De

Difficultate deferendi Victualia ad Castrum Kunnigsberg.

PRutheni in malitia sua obstinati cogitaverunt, quomodo Castrum Kunnigsberg destruerent, locum scilicet illum, quem Dominus ad laudem & gloriam nominis sui prælegit. Unde Ulciscens in omnes ad inventiones eorum, machinationes, quascunque attentaverunt, in nihilum redegit. Considerantes itaque Prutheni, quod Castrum Kunnigsberg violenter non posset expugnare, tanquam viri experti & subtiles in bello ordinaverunt multas naves, quibus naves fratrum ducentes victualia ad Castrum Kunnigsberg destruerent & delerent, ut deficientibus sic victualibus & ipsi Fratres deficerent. De quo Commendator & fratres turbati miserunt occultè quendam virum, qui dictas naves terebro perforavit, & hoc totiens iteravit, quod fatigati laboribus & expensis ab impugnatione navium fratrum, quarum multas destruxerant, captis hominibus & occisis, desistere sunt conati.

CAP.